



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 22. Lauretana Aedes donis cumulatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

*Lauretana Aedis donis cumulatur.*

*Cap. XXII.*

**E**T cum aduenarum multitudine Lauretanae Aedis opulentia crescebat. Satis constat ex eo tempore dena, duodena, quaterdena, senadena, usque ad vice-na aureorum millia in arcam quotannis ingesta. Nec vero vnquam vllus Pontificum quicquam ex arca Lauretana in suum usum vertit. Sed omnibus aequae sancta ea pecunia fuit. Duo omnino tempora inciderunt, cum aliquid inde pecuniae ad Pontifices ita peruenit, ut paulo post ab iisdem eodem rediret. Leonis X. Pontificis Duces ad reprimendas Francisci Mariae Urbinatium Ducis populationes, sex aureorum millia ex sacra arca in stipendium militare deprompserant. Id ubi cognouit Pontifex, ex templo per Piceni Quastorem B. Virgini eam summam renumerandam curauit. Clemens inde VII. sub direptionem Urbis, cum in summa difficultate esset nummaria (ut supra demonstrauimus) tria aureorum millia mutua ab Lauretana Virgine accepit: quae deinde periculo defunctus cum fide persoluit. Itaque omnis illa pecunia, quae in sacram arcam ingerebatur, in Lauretanam fabricam, aliosque S. Aedis usus erogabatur. Paulo autem Quarto Pont. ad eam pecuniam accesserunt alia dona, quae ad sacram suppellectilem pertinebant. Christi crucifixi effigies argentea iustae magnitudinis cum Caluario monte, ac simulacris B. Virginis, & S. Ioannis ex argento expressis, bina itidem argentea candelabra cubitalia, & patera argentea bilibris pulcherrime facta. Ad haec amiculum eximium Episcopale ex veste Attalica, cuius praecipuum ornamentum erat aurea ingenti specie fibula tribus cumulis margaritarum insignis, quali Cardinales Episcopi uti solent. Textilis insuper pictura Christi ortum referens ex serico, auroque mira arte perfecta, Cardinalis Carpenfis dona sunt. Ducis Urbinate vestes sacerdotis ac ministro-

Bern. Cyril.

Card. Carpenfis D.

Ducis Urbinate  
natus D.

ministrorum aureæ. Par donum Ducis Epirotarum. Ducis  
 item Mantuani, nisi quod hæ sunt ex auro argentoque con-  
 textæ. Ducis Bouini præclarum sanctissimæ Eucharistiæ  
 ferculum ex argento, pedibus angelorum simulachris  
 innixum. Honorati Caetani Ducis Sermonetæ sacerdo-  
 talis vestis aurea, aræque ornatus ex veste Attalica. Au-  
 gustini Auricæ caput argenteum, binique sacerdotales or-  
 natus ex auro textili. Margaritæ Austriacæ Caroli V. Cæ-  
 saris filia egregia vestis, aræ pariter, & sacerdotis ex argē-  
 teo textili crispo. Marchionissæ Vasti ciborium aureum  
 bilibre, opere præclaro. Alterum ciborium egregium, sed  
 distinctum columnis ex argento inaurato vxoris Ducis  
 Ariani. Sacerdotis, ac ministrorū solemniter sacrifican-  
 tium ornatus argenteus Ducis Mantuanæ. Denique Sa-  
 cerdotalis vestis aurea insignis à tergo ingenti effigie B.  
 Virginis sole amictæ, eademque auro, margaritisque distin-  
 ctæ, Regina Vngariæ donum.

Duc. Epit.  
Donum.Duc. Mant.  
Donum.Duc. Bouin.  
Donum.Duc. Sermon.  
Donum.Aug. Auricæ  
Donum.Marg. Aust.  
Donum.March. Vasti  
D.Duc. Ariani  
D.Duc. Mantuanæ  
D.Reg. Vngariæ  
Donum.

*A Gallico exercitu Lauretana Aedes cum multorum  
militum salute celebratur.*

*Cap. XXIII.*

**C**Aeterum exorto sub id tempus inter Hispaniæ regē  
 ac Pontificem bello, nouorum armorum tempestas  
 quæ turbauit Italiam, Lauretanam illustrauit Aedem.  
 Dux Guisus à Pontifice euocatus annuente Franco Rege,  
 instructissimas Gallorum copias in Italiam traduxerat ea  
 mente, vt simul præsidio esset Pontifici, simul Neapolita-  
 num reciperet regnum. Qua tēpestare religio Aedis Lau-  
 retanæ, diuinaque erga eam prouidentia maxime enituit.  
 Ingentes militum copiae ex varijs gentibus collectæ Pice-  
 num inundarant: nec tamen Aedes diuitijs inclyta cuius-  
 quam animum ad opulentæ prædæ cupidinem illexit. tan-  
 ta etiam in bellico tumultu militares animos religio Lau-  
 retanæ

Tradi. Laur.  
Ann. Laur.  
Rier.